

ant. & salutem hoc pacto adipiscantur ? cum Deus per conciones & ministeria hereticorum non videatur fidem ac pietatem salvificam operari velle. Unde brevius pariter ac genuinè questio hoc modo proponi potest ac debet: An aliqui, qui in hæreticorum cœtu & communione externâ vivunt, possint salvari?

III. Cavenda autem sunt in hac questione duo extrema: 1. prophanus & securus quidam Libertinismus & Samaritanismus seu confusio religionum; quasi nihil intersit cum quo cœtu communices, & quasi quidvis cum quovis miscere, & sub pacis specie, pro re natâ, quidvis apud quosvis dicere, facere, & simulare liceat. 2. Cavendus etiam est arrogans & superbus, imò stolidus & insanus quidam Donatismus; quo dicamus, nobis donatum est nosse mysteria, & consequi hereditatem regni coelorum; aliis verò per totum orbem terrarum qui non idem per omnia nobiscum dicunt & faciunt, quæ nos divina & catholica putamus, non est donatum. Utrumvis ut cavere magis studeamus, primò sententiam nostram populariter & simpliciter exponemus: deinde plenius etiam cum adversariorum sententiâ comparatam probabimus ac defendemus.

dirigē-
da ad
decli-
nandū
Libertā
nismū,
& Don-
atist-
mum.

Hhhh a THE.